



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Deditus Theologiæ mysticæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

illibatum florem conseruarat, illibatumq; deinceps ad extremum vsque retinuit, & tandem auexit in cœlum, religione voti dedicauit: & Philosophiæ spatiis magna nominis sui celebritate in Collegio Montano decursis, in eodem suprema donatus est laurea. Ad ius deinde Ciuile, ac Pontificium cognoscendum, quam viam ipse institerat, vt eadem per vestigia duceret, admouebat, & cōpellebat Iacobus Pater; vt aliquandiu institutionibus Imperatoriis Coloniae, Pontificiis verò Louanij Petrus nauarit operam.

Sed sacer animus ad diuinam sapientiam toto ingenij, ac voluntatis impetu ferebatur; eamque potissimum, quæ non modò rapit ad sublimia, diuinisq; luminibus illustrat mentem, sed etiam augustos inter ardores inflamat: quam vti demonstratum est, Eschius præcipuè profitebatur. Huius ardens sapientiæ studio, si quos vsquam audiret in ea præstantes, ad eos vel ex longinquo adire, sermones vt coram conferret, non dubitabat. Aliquot ancillas Christi, quarum sanctitas celebrabatur, in variis cœnobiis, oppidis, prouinciisque conuenit: sanctisq; eorum colloquiis, ac monitis multum proficiebat. Harum è numero fuit

Deditus Theologia mystica,